

possum? Sed sit nihil sancti, non fides, non religio, non pietas: audiantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere adferunt. Unus adgressurus es Hannibalem? Quid illa turba tot liberorum servorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextrae? torpescente in amentia illa? Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? Et si alia auxilia desint, me ipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi transfigendusque est. Deterreri hic sine te potius, quam illic vinci. Valeant preces apud te meae, sicut pro te hodie valuerunt.

VIII. ORATIO PEROLLAE, qua Pacuvio patri respondet.

Ex eodem XI capite.

Ego quidem, quam patriae debeo, pietatem exsolvam patri. Tuam doleo vicem, cui ter proditae patriae sustinendum est crimen: semel, quum defectionis ab Romanis; iterum, quum pacis cum Hannibale fuisti auctor; tertio hodie, quum restituendae Romanis Capuae mora atque impedimentum es. Tu, patria, ferrum, quo pro te armatus hanc arcem defendere volebam, hosti minime parcens, quando parens extorquet, recipe.

V. SALUSTIUS.*

I. EX BELLO CATILINARIO.

Cap. I. Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quae natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est: animi

* Ex edit. Minellii, Lipsiae, 1739 an.